



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XXI. Ob quæ integrum sit à legum observantia discedere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT XXI.

Ob quæ integrum sit à legum observantia discedere.

SUMMARIUM.

1. Definitio, & divisio Privilegii.
2. Quid privilegium Canonis.
3. Quid privilegium Fori.
4. Novem capita faciunt irritum privilegium.
5. Dispenlatio definitur, & à quibus petenda.
6. Sunt aliqua Juris Pontificii, in quibus dispensare possunt Episcopi.
7. Quando dispensatio illicita.
8. Dispensatio sine gravi causa petita, & concessa videtur subreptitia.
9. Oppositio & Solutio.
10. In periculo gravi dispensationes sine causa concessæ, & executioni mandatæ non sunt rescindendæ.
11. Consuetudinis definitio, & divisio.
12. Conditio 1. ut consuetudo vim legis acquirat.
13. Conditio 2.
14. Conditio 3.
15. Conditio 4.
16. Conditio 5.
17. Non omnis consuetudo habet vim abrogandi Legem.

Postremo tandem loco dicendum est de iis, quæ nos ab observatione legum humanarum faciunt exemptos, nimirum privilegio, dispensatione, consuetudine.

DE PRIVILEGIO.

1. Privilegium est *privata lex speciali favore homini irrogata*, ut definitur à Cicerone. In qua tamen definitione legis vocabulum late accipitur, eoquod lex pro communitate constituitur, privilegia autem privatis hominibus irrogantur; atque per legem imponatur onus, privilegio levetur. Dicas, si majoris, constitutionem, aut exemptionem. Est autem privilegium aliud *locale*, aliud *personale*. Primum illud est, quod ratione loci conceditur, ut immunitas, qua gaudet confugiens ad Ecclesiam, aut septa Monasteriorum. Atque privilegium istud perpetuum est, nisi princeps certum tempus constituat. De locis quidem sacris statutum jam est privilegia esse perpetua à Chalcedonensi Concilio c. 24. & Urbano II. cap. *Quæ semel dedicata sunt*, xix. q. 3. Act. 6. Synodi vi. & can. 15. Synodi viii. à Marciano etiam in lege ad Palladium Prætorii Præfectum. Privilegium autem *personale* illud est, quod alicui propriis expressis nominibus conceditur, v. g. quod Gregorius anno 600. largitus est Maximo gerendi vices Sedis Apostolicæ in administrandis cunctis Ecclesiis Siciliæ, cap. *Mandata Cælestia*. Extra de Præsumptionibus. De hoc privilegiorum genere habetur Regula vii. Juris in Sexto: *Privilegium Personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*. Si privilegio gaudeat aliquis non speciali titulo, sed communi, ut Ordinis, Civitatis, Collegii; nequit is privilegio renunciare, v. g. Clericus privilegio fori, vel canonis, ne Clericali ordini inferatur injuria, ut recte *R. P. Berti Theol. Tom. IV.*

Barbosa lib. i. Jur. Eccl. cap. xxxix. §. 2. cum cætera privilegia cessare valeant, aut per revocationem concedentis, aut per spontaneam renunciationem. Quod privilegiorum genus dixerit nonnulli Corporalium.

Canonis privilegium nuper commemoratum est, quod habetur c. *Si quis suadente*, xviii. q. 4. nempe ut qui in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, subiaceat anathematis vinculo: quo privilegio fruuntur & Novitii, Moniales, Equites Jerosolymitani, & aliorum Ordinum Apostolicæ Sedis auctoritate ejusdem participum. Privilegio tamen Canonis excidunt habitum, ac tonsuram dimittentes, degradati, hæretici, bigami, aggressores, immiscuentes se præliis, ac seditionibus, exercentes officium lanionis, & pandochæi, & qui egerint per annum artem histriionis, jocularis, circulatoris, & mimi, Quæ dedecent Clericos cap. *Cum decorem*, & cap. *Clerici officia*, de vita, & honest. Cleric. in vi. connumerantur.

Fori autem privilegium est, ut Clericus non nisi ad Episcoporum judicium provocetur, ut habetur in cap. *Sylvester*, c. xi. quæst. i. & cap. *Christianis. Relatum est. Clericum*: Eadem causa, eademque quæstione. Gaudet fori Privilegio Beneficiati, initiati tonsura, constituti in minoribus ordinibus, Clerici conjugati, Subdiaconi qui dispensatione Apostolica contrahunt cum vidua matrimonium, retinentque pensiones Ecclesiasticas, Regulares omnes, ac Moniales, Tertiarii S. Francisci, dummodo collegialiter vivant, Domus mulierum simul commorantium ad poenitentiam agendam, aut orationi vacantium, Eremitæ probatæ Regulæ addicti, atque Superiori Ecclesiastico subiecti. Quantum ad Clericos conjugatos attinet, ut hi gaudeant privilegio Fori, & Canonis,

2. Quid Privilegium Canonis.

3. Quid Privilegium Fori.

nis, requiritur, ut habitum, ac tonsuram deferant, ut alicujus Ecclesiae servitio sint ab Episcopo deputati, ut cum unica, eaque virgine matrimonium contraxerint; ac præterea nonnisi in criminalibus privilegio isto fruuntur, ex Decreto Sacrae Congregationis Concilii die 13. Febr. an. 1610. Cæterorum autem Clericorum privilegia quot exigant conditiones, disjunctive tamen, ut inquirunt Jurisconsulti, id est, ut una saltem reperiat in singulis, declarat Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 6. his verbis: *Nullus primatonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus Fori privilegio gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines, versetur.*

4.
Novem capita faciunt
irritum Privilegium.

Irritum ac nullum redditur privilegium ob novem capita. I. ob subreptionem, vel obreptionem. Est autem obreptio illorum, qui in supplicibus libellis enarrant falsa: subreptio, si taceant necessario exponenda. Ex cap. tamen, *Super literis*, Extra, de Rescriptis, habemus, eos quidem qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis poenam nullum ex literis privilegiorum consequi commodum: at qui per simplicitatem, vel ignorantiam literas impetrant suppressa veritate, aut falsitate expressa, gaudent nihilominus impetratis, dummodo talis falsitas sit expressa, aut veritas occultata, quæ licet fuisset tacita, vel expressa, adhuc privilegia impetrasset: secus si veritate tacita, aut falsitate suggesta nihil simplex fuisset impetraturus. II. Irritum est privilegium quod alicui constitutioni contrarium est, nisi huic expresse derogetur: aut si consuetudinem tollat, nisi expresse caveatur in ipsa, ut habetur Cap. *Licet Romanus Pontifex*, de Consuetudinibus in vi. III. Nullum præterea est, si adversus sententiam jam latam sit, eamque non exprimat, ex Cap. *Inter dilectos*, Extra, de Fide Instrument. IV. Excidit privilegium, quod ab Excommunicato, super alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo, fuerit impetratum, Cap. *Ipsa Jure*, de Rescriptis in vi. V. Privilegium cessat cessante causa, ex cap. *Cum cessante*, Extra, de Appellat. VI. Amittuntur privilegia, quando iis abutimur, & contingit tali abusu ni-

mius canones vilipendi, ut dicitur Cap. *Ut privilegia*, Extra, de privilegiis; atque id præsertim, nisi metas, qui consecuti sunt, transgredi videantur, cap. *Porro*, ibi. VII. Cessant præterea, si afferant incommodum ac detrimentum, juxta regulam Juris LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* VIII. Privilegia desinunt per eorum, ad quos spectant, resignationem, sive renunciacionem, quam supra diximus fieri non posse in Ordinibus, Corporisve detrimentum. IX. Tolluntur tandem per revocationem concedentis, per temporis, ad quod restringuntur, decursum, & per eam, quæ omnia dissolvit, id est, mortem: quamquam impetrata à Principe, ordinarie ipso quoque defuncto persistunt; nam juxta Regulam Juris 16. in vi. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Sat de Privilegiis.

DE DISPENSATIONE.

Differt à privilegio dispensatio, quod privilegium si causa perseveret, nec irritum reddatur, perpetuum est; dispensatio autem certo tempore definitur. Nihil aliud est dispensatio, præterquam remissio, aut relaxatio communis juris, facta ab eo qui jurisdictione pollet, quibusdam in casibus, lege adhuc in suo robore permanente. Nam si penitus tollatur lex, non dispensationem dixeris, sed antiquationem potius, sive abrogationem. Oportet ergo, ut dispensatio fiat ab ipso legislatore, aut ab illo, in quem translata est auctoritas, & facultas jurisdicendi. Quare in legibus Canonice dispensatio ab Ecclesiae Pastoribus petenda est, in civilibus ab ordinata Potestate: neque potest inferior dispensare in lege Superioris, nisi hujus consensu accedente. Pontifex itaque in omni jure Ecclesiastico dispensare potest, & sententia aliorum in jure etiam Divino, seclusis fidei articulis, si tamen ea dispensatione majus Deo exhibeatur obsequium; quod tamen valde ambiguum est, si non falsum. Quis enim facile sibi persuadeat, posse, urgente etiam necessitate, dispensare ut sine aqua naturali conferatur baptismus, perficiatur Eucharistia pane hordeaceo, pro vino sicera consecratione offeratur, laicus impertiatur sacramentalem absolutionem, atque in his, cæterisque ad Jus Divinum pertinentibus aliud ab eo, quod Christus posuit, fundamentum constituere? Episcopi in iis dispensare possunt, quæ ab ipso, vel à diocesana Synodo fuerunt præscripta, nam quanquam huic Synodo Parochi singuli intersint, solus

5.
Dispensatio
definitur, & à
quibus petenda.

Episco-

Episcopus tanquam legislator in ea sedet, gerentibus aliis vicem tantummodo Consultorum. Ita in his, quæ statuta sunt in Provinciali Concilio, dispensare possunt cum Metropolitanus Antistes, tum Episcopi alii, in suis quique diocesis; non tamen si Concilium dispensationem sibi reservavit. Idem dicendum est de Superioribus Regularium comparate ad sibi legitime subjectos.

6. Sunt tamen nonnulla Pontificii Juris, à quibus dispensare Episcopos permittit praxis, rerum conditio, & perantiqua consuetudo. Hujusmodi sunt vota simplicia, casus vel parvi momenti, vel frequentissime occurrentes: & in impedimentis supervenientibus, non tamen præcedentibus Matrimonium, si non est facilis recursus ad Apostolicam Sedem, neque possint absque gravi scandalo, & dedecore conjuges separari, solent pariter Episcopi dispensare.

7. Quando dispensatio illicita. Cum autem dispensatio æquitatem possit, sitque potius, quam beneficium, justum prementis legis levamen; quotiescunque deest dispensationis urgens, justaque ratio, censenda erit illicita. Quod definit Tridentina Synodus sess. xxv. cap. 18. de Reformat. demonstrat Bernardus lib. 3. de Confid. cap. 4. de Statutis Monach. cap. 4. & de Præcepto, & disp. cap. 2. consentiunt Theologi, & vincit ratio ex ipsa natura dispensationis, quæ est quoddam debitum levamentum, petita. Atque hinc sequitur graviter Pastores delinquere, dum absque gravi causa dispensant; quoniam eo in casu sunt fractores, non custodes sacrorum canonum, acceptatores personarum, non administratores fideles; ut recte Augustinus libro 2. contra Advers. legis cap. 11. Martinus I. Epist. 5. & D. Thomas q. 197. art. 4. Sequitur præterea non esse tam frequenter cum inferioribus dispensandum, ne, ut Tridentinum admonet cit. loco, aperiatur aditus ad leges transgrediendas. Id vero maxime circa matrimonia contrahenda servandum esse merito præcipit sancta Synodus sess. xxi. v. cap. 5. Quanta enim ex tali dispensatione oriri possint incitamenta incestuosæ libidinis, res est in propatulo. Dispensari propterea nequit in secundo gradu, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam, ejusdem Sacrosancti Concilii Decreto: cujus inviolabilem æquitatem commonstrat Scholion eximii Lupi ad Canonem xi. Concilii Remensis sub Leone IX. quemadmodum incestuosi conjugii fructus quod narrat Scriptor ipse clarissimi

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

mus in Actis circa matrimonium Guilelmi Ducis Normandiæ cum Mathilde Flandrensi. Sequitur tertio illicitum esse petere dispensationem, si nulla causa interveniat; quoniam nefas est legislatorem ad peccandum inducere; ideoque si quis Superiorem ad illicitam dispensationem trahere curavit, tenetur illum hortari, ut eam dissolvat, atque rescindat.

Quæri solet, num tali stante dispensatione sine urgente, gravique causa petita & concessa, fas sit illâ uti: & respondent DD. perplexæ admodum, & ambigæ. Videtur mihi primo talem dispensationem subreptitiam esse, uti censendam declarat aperte Tridentina Synodus sess. 25. de Reform. cap. 18. his verbis: *Siurgens, justaque ratio, & major, quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum est: . . . aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Si autem est subreptitia, aut nulla; suo carere debet effectu. Deinde in his subreptitiis dispensationibus servandum censeo, quod supra dixi de priori causa irritante privilegium; scilicet inspiciendum, num dispensationem petens suppresserit veritatem, qua cognita nequaquam fuisset cum eo dispensatum. Affirmo insuper non peccare, qui bona fide aut putat justæ dispensationis causam idoneam habere, aut ignorans, an causa quam allegat sufficiens sit, proponit rem superiori discutiendam. Affirmo præterea valere dispensationes, quæ Expeditionarii Romæ appellitant sine causa, pro quibus obtinendis solvitur Cameræ Apostolicæ summa quædam pecuniæ: nam hæc ipsa pecuniæ exactio deserviens Romanæ curiæ honestati, oneribusque gravissimis, justa est, ac rationabilis causa; ideoque dispensationes istiusmodi dicuntur absque causa rei intrinsecâ, non tamen absque omni prorsus causâ exteriori, premente etiam & gravi.

Obloquuntur quidem nonnulli aut ignari, aut iniqui, quod istiusmodi dispensationes (sint in exemplo quæ concedi solent ut matrimonium contrahatur cum femina consanguinea) in Romana Curia non obtineantur, nisi soluta pecunia, hæc eadem habeatur ratio privatorum hominum ac principum, pauperum ac divitum, vulgarium atque nobilium. Sed revera obloquium est, & expostulatio iniquorum; quoniam, ut scribit Cardinalis de Luca in Relat. Curie Roman. Disc. x. num 22. *ejusmodi emolumenta pro laudabili stylo, nunquam vel nimium raro violari*

P 2

solito;

9. Oppositio & Solutio

solito, in privatam alicujus auctoritatem non cedunt, sed applicantur piis operibus, illis præsertim, quæ Fidei catholice, & Ecclesiæ universalis conservati- nem, vel servitium concernunt, adver- sus infideles, hæreticos, aut schismati- cos, ita id exigendo, tanquam speciem mulctæ, seu pænæ delicti à potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicitur pænâ luitiois in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali, etiam sordido, ac mechanico servitio in fabrica sancti Petri, vel in servili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo mulctæ personalis, vel pecuniariæ, respectivè, alios terrendo, vel coercendo, ut ab ista consuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abstineant, ideoque reve- ra injusta oblocutio est. Mitto quod, tanquam laborum merces, Dataria ama- nuensibus, cæterisque Fori, Curiaque ministris debetur.

10. In periculo gravi dispensationes sine causa concessæ & executioni mandatæ non sunt rescindendæ.

Tandem dico, aliquando dispensatio- nes sine causa concessas, posteaquam executioni fuerint mandatæ, si effecta alioqui gravissima consequantur, mini- me esse rescindendas, ne oriantur Can- dala, & pax Ecclesiæ turbetur; quam- quam monitum unumquemque volu- mus, plura valere in foro fori, quæ in foro conscientia non tenent; quod præ- sertim de Dispensationibus sine causa pe- titis & concessis est asserendum. Plura de Dispensatione ex Nostri Basilii Pon- cius libro VIII. de Matrimonio, Leo- nardus Vanroy P. I. Theologiæ Mora- lis Tract. 3. cap. x. Antonius Guerrero Tract. VI. §. XXII. De lege, & Præce- pto, & alii, quos perlegas: nam plura gustare cogimur primoribus tantum la- bris, digitisque, ut dicunt, extremis attingere.

DE CONSUETUDINE.

11. Consuetudi- nis definitio & divisio.

Consuetudinem, seu communem usum atque institutionem, non accipimus hoc loco pro sola actuum frequentia, quæ plerumque mala est, & ab Augu- stino lib. I. Confess. cap. 16. tartareo flumini comparatur; sed pro jure ipsâ actuum frequentatione constituto, & perinde, ac lex esset, observando. Idem Augustinus lib. 83. qq. Q. 31. ita Consuetudinem describit: *Consuetudo est jus, quod aut leviter natura tractum aluit, & majus fecit usus, & religio; aut quod in morem vetustas vulgi appro- batione perduxit; & Gratianus cap. Con- suetudo, dist. 1. ex lib. v. Etymolog. Ili- dori, Consuetudo, inquit, est jus quod- dam moribus institutum, quod pro lege*

suscipitur, cum desit lex. Alia est au- tem consuetudo præter legem, alia jux- ta legem, alia adversus legem. Dici- tur consuetudo præter legem, quæ nec lege præscripta est, neque ipsi repugnat; ut consuetudo jejunandi certis diebus, aut Sanctorum festivitates servandi, qua- rum non extet præceptum Ecclesiasti- cum. Juxta legem consuetudo est, quæ legi jam constitutæ collineat; ut con- suetudo annuæ Confessionis & Com- munionis in Paschate, jejunandi diebus Quadragesimæ, decimas perfolvendi. At consuetudo dicitur adversus legem, cum legi adversatur humanæ; nam con- tra legem naturæ ac Divinam nequeunt mores populorum prævalere: hujus ge- neris est consuetudo, quæ viget per Bel- gium vescendi carnibus singulis sabbatis à Nativitate Domini ad Festum Purifi- cationis B. M. V. in Castella comedendi his, cæterisque sabbatis extrema anima- lium, Mediolani carnes edendi feria quarta Cinerum, & quinta proximâ. Atque harum consuetudinem quælibet vim habet, si necessariæ intersint con- ditiones.

Requiruntur ut consuetudo vim legis acquirat conditiones jam subjiciendæ. ^{12.} *Conditio 1. ut consuetudo vim legis acquirat.* Oportet primum, ut rationabilis sit, & propter publicam commoditatem indu- cta: atque hujus conditionis defectu re- mittendæ sunt consuetudines, quæ pu- gnant cum lege naturali, & Divina, & quæ gravamen inducunt Ecclesiis; cap. *Consuetudines*, & cap. *Cum tanto*, Ex- tra, de consuetud. Justinianus pariter in Novella 134. *Quæ improbe, inquit, excogitata sunt, ea nec longa consuetu- dine confirmari volumus.* Et Augustinus in Epist. ad Casulanum, *Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur.* To- lerandæ tamen consuetudines, quæ li- cet non rationi, sed voluptati deser- viant, si tamen ab iis populi averteren- tur, peiores evaderent, quomodo de consuetudine Bacchanalium habetur in Canone *Denique*, dist. VII. C. *Mala consuetudo*; quoniam perniciosas corru- ptelas pro legibus venerari non decet. Omnis quippe lex constituitur ratione recta, atque ad æquitatem, honesta- temque refertur.

Altera conditio est temporis, per ^{13.} *Conditio 2.* quod corroborari debet nova quælibet consuetudo. Hujus temporis præscri- ptio in civilibus extenditur ad decen- nium, ex l. ult. Cod. de Præscriptionibus, §. 1. At ad inducendam consuetudi- nem contra legem Ecclesiasticam requi- ritur præscriptio quadragenalis ex cap. *Ad*

Aa aures, Extra, de Præscript. & cap. Quia indicante, ibi; quo in loco Alexander Tertius decernit contentionem circa fines prædiorum Ecclesiasticorum terminandam quadraginta annorum præscriptione utrique parti servata. Quando autem consuetudo derogat Juri communi, non personali duntaxat, JCC. docent necessariam esse præscriptionem temporis immemorabilis, qualis censetur si centenaria est: ac præterea requiritur, ut repetito judicio constet consuetudinem istiusmodi revera persistere. Videatur Cardinalis Tufchus Concl. DCCXCVI.

14. *Conditio 3.* Conditio tertia est, ut consuetudo inducatur actibus externis, non necessitate patris, sed libere, pluries etiam repetitis, neque ab uno, vel altero tantum, sed à majore ac saniori populi parte: unde errant, qui cum Diana, & Lessio putant ad consuetudinem satis esse, si actus bis, aut ter repetantur. Consuetudinem quippe, ut liquet ex allata definitione, usus & vetustas in morem perducit. Dicitur quidem cap. *Ita nos*, causa xxv. q. 2. geminata cædes Pontificum, usus & consuetudo sacrilega; sed ut principio animadvertimus, aliud est consuetudo graviolem culpam constituens, & majore punitioe plectenda, aliud jus consuetudinis induens ipsius legis naturam. Quapropter laudato capite, *Ita nos*, appellatur jure merito sacrilega consuetudo, funesta perniciēs, dirumque contagium geminata cædes Scyllacænorum Antistitum, quoniam horrendi criminis atrocitate viam sternebat parricidalibus exemplis, & nefarium crimen erat severiori ultione plectendum. Imo ex his infertur, in levioribus criminibus, in quæ magis humana infirmitas labitur, dicendam non esse consuetudinem unam & alteram ejusdem culpæ perpetrationem, sed actuum frequentatione inolitam.

15. *Conditio 4.* Accedit conditio quarta, ut consuetudo inducatur intentione obligandi; nam hujusmodi intentio etiam ad constituendam legem est necessaria. Quamobrem si aliqua consuetudo inducta fuerit causa devotionis tantummodo, ut sub vesperam ac meridie salutare Deiparam, cineres sumere die post Quinquagesimam quarta, festum aliquod ex devotione celebrare, aliosque usus plurimos, non peccat consueta prætermittens, præcisò scandalo, divorumque contemptu. Similiter si recepta sit consuetudo ad oneris legis levamentum, ut quam diximus de observatione sabbati in provinciis Castellæ & Belgii, aut con-

suetudo parvæ refectionis in diebus consecrandis jejuniis; potest quis à consuetudine recedere, necnon observatione legis sibi meritum comparare. Inductam consuetudinem cum intentione obligandi censendum est, quando transgressores puniuntur, aut apud viros probos ac pios male audiunt, necnon si plebi, ut dictum supra, scandalum præbeatur. Quod si incertum est, an causâ devotionis, an obligandi animo inducta fuerit consuetudo; judicandum est ex devotione fuisse introductam; nam lex non præsumitur, nisi probetur.

16. *Conditio 5.* Ultima conditio est, ut consuetudo inducatur Legislatoris concessu. Non requiritur tamen consensus explicitus, sed sufficit tacitus, quem JCC. appellant consensum legalem. Habetur consensus istiusmodi, quando legislator consuetudini, quæ contra legem inducitur, sciens ac lubens non repugnat, nec urget legis observationem, neque in transgressores animadvertit. Dicitur enim in hac hypothese legem cessare *via conniventia*. Si autem invaluit consuetudo inscio legislatore; ut vim habeat prærequiritur præscriptio temporis, de qua supra. Tanto enim spatium poterat legislator de observatione legum suarum inquirere, atque id facere tenebatur; ideoque intervenit consensus legalis, etiam dum lex præscriptione abrogatur. Si tamen legislator consuetudini repugnat, eamque nova lege rescindit, nullam consuetudo vim habet, quia voluntas Principis voluntati populorum est præferenda.

17. *Conditio 6.* His conditionibus explicatis, constat non omnem consuetudinem habere vim abrogandi legem. Si enim sit consuetudo adversus legem naturalem, aut Divinam, irrationalis est, & caret conditione priori. E. gratia consuetudo inferens gravamen Ecclesiæ, & quæ inducitur ad peccandum, & ad propria bona dissipandum patrimonium, ut habetur cap. *Ex parte*, Extra, de consuetud. Atque idem dicendum est, si aliqua ex cæteris conditionibus desideretur. In quibus explanandis omnes circa consuetudinem quæstiones, ut librum tandem absolveremus, curavimus extricare. Absolutum tibi, benevolentissime Lector, libens propono: iis, qui aliena carpunt & rodunt, non profero: Ecclesiæ primum, tum Theologis & Jurisconsultis subijcio: Summo Deo, per quem Principes justa decernunt, dico & confiteor: Ipsi CVLcVM, Vt

Leges IVbent, stVDeas exhlbere.